Kaczorowicz Francisci: Quaestio metaphysica de substantia corporea.



IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO METAPHYSICA.

DE

SVBSTANTIA CORPOREA.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodum Rndi Domini,

D. M. ALBERTI ŁANCVCKI,

I. V. DOCTORIS & PROFESSORIS,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouień. Canonici Electi,

Collegiatarum, Pilecen. Archidiaconi,

SS. Omnium CANCELLARII,

S. R. M. SECRETARII,

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi RECTORIS.

A

M. FRANCISCO KACZOROWICZ,

Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore,

Pro loco in Majori Collegio,

Ad disputandum publicè,

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Verbi Diuini Incarnati, M. DC. LXX. VI. Nonis Septembris.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO METAPHYSICA.

VTrum Substantia Corporea, formaliter per Esse per se, tanquàm per rationem formalem constituta, & à Quantitate realiter distincta; nullam extensionem & diuisibilitatem etiam entitatiuam, antecedenter & independenter ad Quantitatem actualem, includens: habeat ex se partes, substantialiter & entitatiuè inter se distinctas; nec ne?

CONCLVSIO I.

Substantia Corporea, in sua ratione formali constituitur per Esse per se.

COROLLARIA.

I. Ratio formalis Substantiæ est, Esse per se, vt excludit esse in alio, nedum per modum Accidentis; sed etiam per modum partis in toto, præsertim essentialis.

II. Constitutiuum Substantiæ, non est pura negatio essendi in alio; licet eius constitutiuum, per talem negationem explicetur.

III. Esse per se, prout explicatur per non esse in alio, non potest esse ratio formalis constitutiua Substantiæ.

IV. Substare alijs, non est constitutiuum Substantiæ; sed est proprietas quædam illius essentiam consecuta.

V. Substantia Materialis, intrinsecè componitur ex distinctis entitatibus diuersarum rationum; hoc est ex Materia & Forma, quæ in facto esse vnum quid per se constituunt.

CONCLVSIO II.

Substantia Corporea, realiter & entitatiuè, distinguitur à Quantitate.

COROLLARIA.

I. Falsò aliqui dixerunt, substantiam cum Quantitate esse eandem, & non

& non nisi Substantiam dici, secundùm quod substat Accidentibus: Quantitatem verò secundùm quod habet partes extra partes.

II. Licet Quantitas sit Accidens extensiuum Substantiæ; non tamen per hoc Substantia depēdet à Quantitate; sed est quid absolutum.

III. Substantia Corporea, antecedit Quantitatem, tempore, naturâ, definitione, & Cognitione.

IV. Si Deus, per suam omnipotentiam, auferret Quantitatem, ab aliqua Substantia; tunc illa Substantia, remaneret alicubi, modo indiuisibili & inextenso: non tamen eâ proportionalitate, quâ Corpus Christi, sub Speciebus consecratis.

V. Nec tamen indè sequitur, Substantiam Corpoream ante aduentum Quantitatis, habere se vt punctum indiuisibile.

CONCLVSIO III.

Substantia Corporea, ex se independenter & antecedenter ad Quantitatem actualem, nullam includit extensionem, aut diuisibilitatem etiam entitatiuam actualiter.

COROLLARIA.

I. Inconuenienter aliqui asserunt, Substantiam Materialem, habere independenter à quocunq; alio partes Substantiales & entitatiuas in seipsa.

II. Fieri nullâ ratione potest, etiam per facultatem supernaturalem, vt Materia sine Quantitate, in varias portiones diuidatur.

III. Totum aliquod integrum, non potest diuidi in partes eiusdem vel diuersæ rationis, nisi beneficio Quantitatis: ita vt si ab illo Quantitas euanesceret; remaneret prorsùs indiuisibile, nullasq; haberet partes integrantes, siue homogeneas, siue heterogeneas.

IV. Substantia Corporea, vt præuenit Quantitatem, non habet quidem ex se partes actu; habet tamen potentiâ, hoc ipso, quòd ex se est capax & susceptiua diuersarum partium Quantitatis.

V. Quod intelligitur de Substantia Materiali; hoc etiam tenendum de Accidentibus: nempè quòd sine Quantitate sint priuatiuè indiuisibilia; licet intra propriam lineam ratione illius, sint diuisibilia.

CONCLVSIO IV.

Substantia Corporea, antecedenter ad Quantitatem, non habet ex se partes, substantialiter & entitatiuè inter se distinctas.

 COROL-

COROLLARIA.

I. Ut Substantia sit Subiectum proportionatum Quantitatis & partium eius; non requiritur quòd supponatur vt habens actu distinctas partes; sed sufficit, vt supponatur illas habere radicaliter & in potentia.

II. Nec tamen inde sequitur, Substantiam sub Quantitate, habere plures portiones, sub diuersis partibus Quantitatis, actualiter identificatas; potentialiter verò distinctas.

III. Hæc distinctio partium potestatiuarum Substantiæ, à partibus quantitatiuis actualibus, pendet ex parte Formæ Substantialis Materialis, quæ est in Subiecto.

IV. In eadem Substantia, non erunt actu distinctæ partes Substantiales integrantes, eo ipso, quòd respiciunt & exigunt diuersas partes Quantitatis.

V. Si Sacerdos consecraret medietatem Hostiæ; tunc Quantitas partis consecratæ, actu & realiter distingueretur à Quantitate alterius partis non consecratæ: licet secundùm apparentiam aliter videretur.

Hæc vniuersa, SVBSTANTIÆ Omnium Primæ, Æternæ, Incorporeæ, Infinitæ, Immensæ & Indiuisibili, DEO Optimo Maximo Scripta, dicta, ac dicata sunto.



Probatum

Permissu Magnifici Domini,

RECTORIS.

In nomine Domini

Stanislaus Goznowski






Biblioteka Jagiellońska
stdr0018915

